

re Aquinas illud effatum interpretatur de potentia activa naturali: « Res enim naturales coordinatae sunt ad invicem, et etiam omnes creaturae: Deus autem est extra hunc ordinem; Ipse enim est ad quem totus hic ordo ordinatur, sicut ad bonum extrinsecum, ut exercitus ad ducem; et ideo non oportet, ut ei, quod est in Deo, aliquid in creaturis respondeat ¹ ».

XXIII. FRUSTRUM FIT PER PLURA, QUOD FIERI POTEST PER PAUCIORA ².

G

DISTINCTIONES

I. GENERATIO — CREATIO — CORRUPTIO — ANNIHILATIO. Secundum Scholasticorum dogmata de materia et forma ³, res naturales incipiunt esse vel per educationem formae ex materia praeiacente, in qua potentia continentur, vel prorsus productione ex nihilo. Primum dicitur generatio, alterum creatio. Differt itaque creatio a generatione, quatenus haec materiam, ex qua fiat res genita, expostulat, siquidem in materiae substantiali transmutatione consistit; illa vero omne, ex quo res educatur, excludit, atque totum ex nihilo, idest non ex aliquo producit, etiam ipsam materiam; unde « creatio est productio rei, quemadmodum s. Thomas inquit, in esse secundum totam suam substantiam ⁴ »; et secundum s. Bonaventuram, « est productio totius substantiae secundum totum ⁵ ». Hinc prima rerum productio non fuit generatio, nam formae non fuerunt ex materia eductae, sed simul cum ipsa creatae ⁶; ita ut, aiente s. Augustino, *Creator Deus formatam creaverit materiam* ⁷. E contrario, res desinit esse vel separatione formae a materia, vel prorsus amittendo existentiam. Pri-

¹ *Qq. disspp., De Pot., q. I, a. 2 ad 1.*

² *Vid. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate, p. 118.*

³ *Vid. quae in explanatione harum vocum exponuntur, p. 127 sq.*

⁴ *In lib. II Sent., Dist. I, q. 1, a. 2 sol.*

⁵ *In lib. II Sent., Dist. I, p. 1, a. II, q. 2 resol.*

⁶ *Vid. s. Thom., I, q. LXV, a. 4 c.*

⁷ *De Gen. ad litt., lib. I, c. 14, n. 29.*

imum dicitur corruptio, alterum annihilatio. E. g., adest aliquid aptum ad comburendum; ipsi unitur forma ignis: en ignis generatio. Nihil est; Deus dicit: *Sit ignis*, et ignis est: en ignis creatio. Lignum ardet, combustio cessat, ignis forma evanescente, superest cinis; en ignis corruptio. Est ignis; si Deus diceret: *Nihil sit*, omnia evanescerent, quin cinis supersit, vel aliquid aliud: en ignis annihilatio. Nulla autem desideratur actio, ad hoc, ut res quaedam recidat in nihilum. Id quippe fit per solam Dei cessationem ab agendo, seu a creando rem illam. Etenim, cum conservatio rei cuiuspiam sit continuata eius creatio, res illa non amplius durat per conservationem, ubi primum Deus illam creare cessat.

Sensu autem magis proprio, prout nempe generatio ad viventia restringitur, ita definitur a s. Thoma: *Origo viventis a vivente principio coniuncto in similitudinem naturae* ¹; seu, ut s. Bonaventura inquit, *generare est simile sibi in substantia et natura producere*, ita ut haec *productio sit similis de simili, sive de seipso* ². Ex quo intelligitur tria in generatione requiri: 1^o Ut id, quod generatur, sit ex substantia producentis; 2^o Ut inter genitum et generans sit similitudo naturae, seu ut sint eiusdem speciei; unde *fructus arborum, et ova avium, et capilli, et huiusmodi non habent rationem geniti*; neque vermes, qui ab homine scatent, *non enim procedunt secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei* ³; dum « de ratione generantis est, quod generat sibi simile secundum formam ⁴ »; 3^o Ut sit coniunctum cum genito principium, a quo ipsum producitur; nam pars substantiae generantis, quae ab ea transfunditur, et est principium generationis, coniungitur cum genito, immo fit ipsum genitum ⁵.

¹ I, q. XXVII, a. 2 c.

² *In lib. I Sent., Dist. IX, a. I, q. 1 resol.*

³ I, loc. cit., et *In lib. II Sent., Dist. VIII, q. 1, a. 1 sol.*

⁴ I, q. XXXIII, a. 2 ad 4. « Videmus in communi consuetudine eiusdem essentiae esse cum gignentibus ea quae gignuntur; s. Iustin., *Expositio Fidei de recta confessione, sive de sancta consubstantiali Trinitate.*

⁵ Processio Verbi in Divinis habet rationem generationis; nam, ut s. Thomas inquit, « procedit per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae, et a principio coniuncto, et secundum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae ».

II. GENERICE—SPECIFICE—NUMERICE. Dicuntur potissimum de rerum differentia. *Generice* ea differunt, quae in nullo praedicato *univoco* conveniunt; ut substantia et quantitas. Hinc oriuntur summa *genera* rerum, quae decem assignantur, et vocantur *Praedicamenta*¹. *Specificae*, ea quae in aliquo genere *univoco* conveniunt, sed sub diversis speciebus continentur; ut homo, leo, lapis etc. Hinc genera intermedia proprie non differunt *generice*, sed *specificae*. Haec tamen diversitas plures gradus admittit, in quibus semper posterior magis determinat priorem; quare homo secundum plura praedicata differt a vegetabili, quam ab animanti bruto. Hinc s. Thomas ait: « In rebus naturalibus gradatim species ordinatae videntur² ». Denique *solo numero* differunt individua sub eadem specie contenta, quae nempe neque *genericam*, neque *specificam* differentiam agnoscunt, sed tantum distinguuntur *secundum ea quae sunt naturae speciei adiuncta*³; ut Socrates et Plato.

et in eadem natura existens » (I, q. XXVII, a. 2 c.). Quinimmo, ut s. Bonaventura subdit, haec generatio est *omnimodae perfectionis*: « Iste modus generationis (*viventium*) est in Deo, et creaturis, sed differenter; quia producere alium ex seipso potest esse dupliciter, vel ex se toto, vel ex parte sui. Ex se toto non potest producere, nisi ille, cuius essentia potest esse in pluribus una et tota; nam, si non potest esse in pluribus una et tota, si generans dat totam suam substantiam generato, tunc substantia tota transit in generatum, et generans perdit substantiam totam generando, quod esse non potest. Ideo adhuc necesse est, quod talem habeat substantiam, quae una et tota sit in pluribus, talis autem substantia non est nisi substantia habens summam simplicitatem, haec autem est sola Divina essentia, in qua propter summam simplicitatem suppositum non addit ad essentiam, unde nec ipsum coarctat, nec limitat, nec formam multiplicat; et ideo in Eo potest esse generatio communicans eandem substantiam totam; et talis generatio est *omnimodae perfectionis*, et in solo Deo reperitur, ratione iam dicta. Alio modo contingit aliquem ex se producere quantum ad partem sui: sic pater naturalis generat filium, partem substantiae transmittendo, et decidendo; et haec generatio necessario est cum imperfectione; quia enim pars decisa non habet actum totius, necesse est quod per mutationem acquirat; sed quod acquirit, quod non habet, variatur; ideo haec generatio est mutatio, et habet variationem coniunctam, et etiam cum corruptione adnexa » (*loc. cit.*).

¹ Vid. litt. P.—² I, q. XLVII, a. 2 c.

³ *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 14.

Diximus, *solo numero*, quia generatim ea dicuntur *numero* differre, quae numerari possunt ut distincta, quo sensu etiam individua diversarum specierum, ut Alexander et Bucephalus, sunt *numero* differentia. Differentia *specifica formalis*, quia fit *secundum id quod est formale*; differentia *numerica materialis* etiam appellatur¹, quia *materia* est principium, ex quo plura sunt eiusdem speciei individua².

III. GENUS PROXIMUM—REMOTUM. *Genus proximum* dicitur illud, quod ita enuntiatur de pluribus differentibus specie, ut nullum aliud attributum habeat infra se, quod de illis sub generis itidem ratione dici possit. *Remotum* vero est illud, quod aliud genus sub se continet. Sic, cum homo, et bellua immediate sint sub genere animalis, mediate vero sub genere viventis, animal est genus *proximum*, *remotum* autem vivens, si ad hominem atque belluas attributa ipsa referantur.

IV. GENUS SUPREMUM—MEDIUM—INFIMUM. *Supremum* est quod supra se nullum habet attributum, cui vera generis ratio competit. *Medium*, quod tam supra, quam infra se habet alterum genus. *Infimum*, sub quo genus aliud non reperitur. E. g., substantia est *genus supremum*, cum nihil sit supra substantiam, cui generis ratio conveniat. *Vivens* autem est genus *medium*, et animal genus *infimum*; cum scilicet *vivens* medium inter substantiam, et animal locum teneat; sub *animali* autem genus alterum non inveniat.

V. GUBERNATIO—PROVIDENTIA. *Providentia Dei*, quatenus significat rationem in Mente Divina existentem, qua Deus singula ad proprios fines, et omnia ad finem universalem disponit, dicitur proprie *Providentia*; quatenus autem significat ipsius ordinis per certa media executionem, dicitur *gubernatio*.

¹ Vid. s. Thom., I, q. XLVII, a. 2 c.; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 92, et *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XII, a. 13 ad 3.

² Vid. *Unitas generica, specifica, numerica*, litt. U.